

De Apuleio artis Philemonianae existimatore.

Guilelmo Süß
octogenario
s.

Facete quondam, praeceptor dilectissime, in libro illo egregio, quem de Aristophanis apud posteros fatis conscripsisti, priscorum philologorum sortem, qui magistris austeris tum demum probati esse solebant, cum ex veterum scriptis magnum numerum mendorum naviter exciderant, cum Indianorum iuvenum condicione contulisti, quibus principis stomachus erat extimescendus, nisi multos hostium vertices cum crinibus abscissos e cingulo suspenderant, nec tamen despero fore, ut emendatoris me persona indutum, dum gratulationis gratissimo munere fungor, placido lumine videas. nam hoc sane laudabis, ad sanandum *L a t i n i* scriptoris textum scalpellum admoveri ab eo, cuius nimius scilicet *G r a e c a r u m* litterarum prae Latinis amor et studium non semel urbanos Tuos in suavissimis colloquiis sales expertus est. ne tamen prorsus me in aliena castra transisse crederes, tractanda sumere verba Latina, quibus *G r a e c i* poetae praestantia laudibus effertur, placuit.

Apuleius igitur in Floridorum c. 16 inter alias Philemonis comici virtutes 'argumenta lepide inflexa agnatos lucide explicatos' praedicat. duo huic loco insunt menda, alterum iam pridem animadversum, alterum nondum detectum. ac primum quidem 'agnatos', licet quibusdam defendi posse visum sit, stare nequit, nec dubitabimus aliorum coniecturis Colvii sententiam anteferre, qui 'ac nodos' reponere iussit, Horatiani nimirum illius 'digni vindice nodi' memor. sed perquam mirum est ne neminem adhuc offendisse in argumentis lepide 'inflexis'. sonum, vocem, orationem 'inflectere' quo sensu dicatur vel tironibus compertum est; quid sit fabularum argumenta 'inflextere' ne doctissimi quidem puto extricare valebunt. anne Latinum? ne multa: πολλοι πλέξαντες εὐ λύσοι κακῶς secundum Aristotelem; Philemon utrumque callebat, si modo fidem habemus Apuleio laudanti 'argumenta lepide implexa ac nodos lucide explicatos'.

Habes, magister optume, munusculum natalicium: minutam sane disputatiunculam, sed pertinentem ad artem comicam, cuius Tu per omnem vitam fuisti studiosissimus.